

Recueil des chartes de l'abbaye de Stavelot-Malmedy, 260

PASCALIS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI DILECTO IN CHRISTO FILIO ERLEBALDO STABULENSI ABBAATI EJUSQUE SUCCESSORIBUS CANONICE SUBSTITUENDIS IN PERPETUUM. Consuevit apostolice sedis clementia humiles ac devotos filios ex assueta benignitate propensius diligere et in suis justis petitionibus efficaciter exaudire. Ea propter, dilecte in Domino fili ERLEBALDUS ABBAS, tuae sinceritatis devotionem immobilemque tui animi constantiam, quam erga sedem apostolicam et nos ipsos multis ac magnis obsequiis te indubitanter habere cognovimus, propensius intuentes, tuis justis postulationibus clementer annuimus et anulum, mitram, dalmaticam et sandalia in precipuis festivitatibus et in ceteris congruis temporibus infra tuam ecclesiam tibi tuisque successoribus et in regali curia personae tuae tantum deferenda autoritate apostolica concedimus et presentis scripti privilegio confirmamus. Parrochiale quoque ecclesiam sancti Sebastiani quae est in Stabulaus, duas Ronas et ecclesiam de Francorcamp, quas tibi et successoribus tuis venerabilis frater noster ALEXANDER Leodiensis episcopus pro suo anniversario concessit, sicut in privilegio ipsius tibi, ut diclum esi, et successoribus tuis concesso contineri dinoscitur, apostolica tibi et successoribus tuis nichilominus auctoritate confirmamus. Preterea [de] discretione tua bene per omnia sperantes, ad honorem Dei et ad salutem fidelium animarum ex consueta benignitate sedis apostolicae, potestatem tibi damus in ecclesia sermonem ad populum facere et verbum Dei fidelibus annuntiare. Tua itaque interest, dilecte in Domino fili, dare operam quam possis, ut te tam providam ac sollicitum in commissis exhibeas, ut retributionem justorum audire merearis : Euge serve bone, quia super pauca fuisti fidelis, intra in gaudium Domini tui super omnia bona constituendus. Amen. Amen. Amen.

(L. C.) Ego Pascalis catholicae aecclesiae episcopus ss. (L. M.)

- + Ego Johannes Albanensis episcopus ss.
- + Ego Martinus Tusculanensis episcopus ss.
- + Ego Johannes presbiter cardinalis titulo Pastoris ss.
- + Ego Vinfredus presbiter cardinalis titulo sancte Sussanne ss.
- + Ego Albertus presbiter cardinalis titulo sancti Crisogoni ss.
- + Ego Opizo presbiter cardinalis titulo sancti Clementis ss.
- + Ego Landus diaconus cardinalis sancti Angeli ss.
- + Ego Gerardus diaconus cardinalis sancte Marie in Aquiro ss.

Datum Romae apud Sanctum Petrum per manum JOHANNIS sanctae Romanae ecclesiae presbiteri cardinalis et cancellarii VIII idus aug., inductione XV, incarnationis dominicae anno M° C° LX° VII°. pontificatus vero domini Pascalis pape III anno III.